

Franciscus Castrius ac Inicus Cardineus, Philippi ordinarius orator, eodem tempore Collegium adeunt, Principi ac Patribus gratulantur: a prandio vero convocato Senatu, Franciscus Contarenus, Eques, legatus Romam est designatus; deque interdicto sublato, censuris amotis magistratus omnes extra urbem certiores facti. Ac ne gravitate, quam semper constantissime retinuerat, discedere Senatus videretur, ne publicæ lætitiæ signa ederentur, statuit. Egenis ex ærario pecunia liberaliter impertita: iis qui in tuenda Reipublicæ causa studium operamque contulerant, pensiones annuæ decretæ; atque ut aliquod publicæ munificentiae argumentum in Cardinalem Jojeusam ac Castrium exstaret, Jojeusæ auri fabrefacti sexaginta librarum pondo, Castrio triginta, Senatus consulto dono data. Regibus per literas, perque ordinarios legatos gratiæ actæ. Ac non multos post dies Franciscus Contarenus, legatus, Romam profectus, in itinere Pontificis iussu singulis in civitatibus perhonorifice est exceptus. Romæ eximio populi concursu atque acclamationibus consalutatus, cum Pontificem adiisset, nullam ab eo significationem amoris ac benevolentiae in Rempublicam non obtinuit. Venetias vero Berlingherius Gessius, Bononiensis, Ariminensis Episcopus, Internuncius missus est. Hoc pacto finis dissensionum inter Pontificem ac Venetos fuit impositus, non absque ingenti Senatus laude, quod fortiter in publica causa, nulli sumptui, nullis laboribus pepercisset, avitamque tuendæ dignitatis ac libertatis laudem in totius orbis theatro repræsentasset.

Finis Libri Decimiseptimi.